



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepisc. Et Capitvlo Arelaten.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

272 Epistolarum Innocentij III.

runt, juxta formam Ecclesiae beneficium absolutionis possis impendere, ita tamen quod postquam infirmi suae restituti fuerint sanitati, ad apost. sedem accedant, & alij pro itineris labore sibi dimisso dignum aliquid recompensem, plenam tibi usque ad triennium auctoritate praesentium concedimus facultatem. Datum Laterani XVII. Kalend. Ianuarij.

E I D E M.

Epiſt. 469.
Vt Clerici in
majoribus or-
dinibus conſtitu-
ti, affumpas
mulieres abſi-
eueant.

Q Vidam Clerici tuae dioecesis manifeste dieuntur doctrinæ Apostoli obviare: qui candorem ecclesiastice puritatis, quæ sine omni ruga & macula esse debet, & omne quod est irreprehensibile sibi eligit, suis spurciis depravantes, & dantes offensionem in populo, ministerium suum in vituperium damnosa præsumptione convertunt. Quidam etenim ex ipsis in Diaconatus & Subdiaconatus ordine constituti, uxores sibi (si tamen uxores sunt nominandas) contra instituta canonica, ut dicitur, copularunt: qui postmodum dignitates ecclesiasticas assecuti, curæ student domesticæ potius quam ecclesiastice imminere. Volentes igitur id per tuæ fraternitatis industriam emendari, fraternitati tuae auctoritate praesentium indulgemus quatenus si praedicti Clerici ad commonitionem tuam mulieres ipsas non prorsus ejecerint, & de tanto excessu satifecerint congruenter, licet tibi sit ipsos auctoritate nostra ecclesiasticis redditibus, remoto appellationis obstaculo, spoliare. Nulli ergo &c. Datum ut supræ.

DVNELMEN. EPISCOPO.

Epiſt. 470.
Confirmatio
inſtitutio pre-
bendarum facta
in Ecclesia ſua.

EA quæ ad ampliandum cultum di- vini nominis in locis Deo dicatis à fratribus nostris & coepiscopis statuuntur, praesertim cùm pietas præbet causam proposito, & ardor intimæ caritatis flagrat exteriùs, in effectu servare volumus illibata, & munimine confirmationis apostolicae roborare. Ex caritatis siquidem, sicut credimus, fonte processit, quod bona memoria prædecessor tuus, & tu post eum ipsius exempla secutus, in Ecclesia * de Deloton, præbendas & personatus providè statuistis; ut in eo honorabilius de cetero Domino serviantur, & Ecclesia ipsa in se ministrantibus liberius possit & melius providere.

* de Dunelmo

Nos igitur propositum tuum dignis laudibus in Domino commendantes, institutionem tam personatum quam præbendarum in eadem Ecclesia per te & eundem prædecessorem tuum hactenus factam, sicut rationabiliter & sine quorumlibet præjudicio facta est & servata, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum ut supræ.

ARCHIEPISC. ARELATENSI.

CVm secundum traditionem canoniam non licet aliquem in duabus Ecclesiis titulari, sed quilibet debeat in Ecclesia, in qua ordinatus est, perpetuo permanere, ut secundum Apostolum unusquisque maneat in ea vocatione, in qua dignoscitur esse vocatus; grave gerimus & indignum, quod (sicut accipimus) Præpositori & Canonici Arelatenses, qui profecti sunt observantiam regularem, mutationes reddituum cupiunt, & in diversis laborant Ecclesiis præbendari. unde contingit quod & claustrum ipsum & episcopatus limites saepius exeunt sine licentia Prælatorum. Cùm itaque nolimus ea viris religiosis permittere quæ in Ecclesiis etiam secularibus canonica reprobant instituta, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus præfatis Præpositori & Canonici ex parte nostra & tua studeas districtius inhibere ne beneficia sibi multiplicari satagant, vel in aliis Ecclesiis se faciant titulari, & ne limites episcopatus vel claustri sine licentia tua vel illius cui fratrū curam commiseris, exire temeraria facilitate præsumant. Alioquin tu eos ad id, appellatione frustratoria non obstante, per censuram ecclesiasticam compellere non postponas. Datum Laterani IV. Idus Decembris.

ARCHIEPISC. ET CAPITVLO Arelaten.

CVm ex apostolatus officio, quod licet indigni suscepimus, Ecclesiæ omnium curam & solitudinem gerere debeamus, nobis est attentiùs providendum, ne circa spiritualia vel etiam temporalia ulla detrimenta suscipiant, per illorum incuriam Clericorum qui quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærentes, utilitati communis preferunt specialem. Sanè, sicut nostro est apostolatui referatum,

Epiſt. 471.
De cavenda
beneficiorum
pluralitate.

Epiſt. 472.
Ne Præpoliti
ab illo conuenienti
Capituli mo-
tuum recipiā
vel fidei juſſio-
nem præferat.

referatum, nonnunquam in partibus vestris propter insolentiam Praelatorum contingit Ecclesiæ debitum intolerabilius prægravari, pro eo quod earum negotia tanquam propria pertractantes, Clericorum assensum non exigunt in agendis. Cùm ergo quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari, auctoritate præsentium districti inhibemus ne Præpositus vester sine omnium vel majoris partis & senioris assensu pecuniam recipiat mutuò, vel pro ea præster fiducijsoriam cautionem. Si verò (quod non credimus) contra prohibitionem nostram Ecclesiæ præsumperit aggravare, quod ab eo factum fuerit, decernimus non tenere. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

*ARCHIEPISC. ET CAPITVLO
Arelaten.*

Epi. 473.
Vt Præpositus
acepi & ex-
plici ratione
rotulat.

CVm instantia nostra quotidiana sit, secundum Apostolum, omnium Ecclesiæ sollicitudo continua, summo studio satagere nos oportet quod status earum in spiritualibus & temporalibus suscipiat incrementa, & in deterius (quod absit) aliquorum desidia non labatur. Sanè, sicut nostris est auribus intimatum, in Arelaten. Ecclesia id consuetudinis noscitur obtinere, quod Præpositus ipsius Ecclesiæ coram Archiepiscopo & Capitulo administrationis sua reddit statutis temporibus ratione, sicut à suis prædecessoribus fuit hactenus observatum. Cùm itaque consuetudinis ususque longævi non sit vilis auctoritas, & præsertim quando ratione non obviat, & canonici instituti, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus præfatum Præpositum ad præmissam consuetudinem observandam appellatione remota, sicut justum fuerit, compellatis. quod citra mandatum nostrum deberet efficere, si famam suam vellet servare apud homines illibatam; ne Iudea notam sinistræ suspicionis incureret, unde facta sua vellet fratribus & sociis occultare. Datum ut suprà.

ARCHIEPISC. ARELATEN.

Epi. 474.
Vt de persona-
tum pro fu-
lentate ordi-
nare possit.

CVm Arelaten. Ecclesiæ personatus prædecessores tui dicatur de pontificalis mensa redditibus staruisse, usque ad tempora ista ordinatio ipsorum ad Pontifices, qui fuerunt pro tempore, sicut nostro est apostolati reseratum, nos-

citur spectavisse. Cùm autem personam tuam sincera diligamus in Domino caritate, nec velimus pontificalia jura tuis temporibus minui, sed augeri; ut de jam dictis personatis, sicut & prædecessores tui sine contradictione qualibet haberunt, liberam habeas potestatem secundum Deum & profectum commissæ tibi Ecclesiæ ordinandi, appellatione frustratoria non obstante, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

*PRÆPOSITO S. JOHANNIS
de Cimiterio, ejusque fratribus tam præ-
sentibus quam futuris canonice substituen-
dis in perpetuum.*

EFFECTUM justa postulantibus &c. Usque ad verbum annuimus, & præfatam Ecclesiæ sancti Iohannis de Cimiterio in Papien suburbio sitam, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Lucij Papæ prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuentes &c. usque ad verbum vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiæ sancti Marci, quæ in parochia vestra fundata est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiæ sanctæ Mariæ, positam in porta aurea, cum pertinentiis suis. Ecclesiæ sanctæ Mariæ, positam in castello Lanfranci, cum omnibus pertinentiis suis. & plebem quæ dicitur Rete, cum omnibus pertinentiis suis. Sanè cùm generale &c. Sepulturam quoque &c. Obeunte verò &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolica auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum &c. Datum Laterani per manum Raynaldi Domini Papæ Notarij, Cancellerij vicem agentis, XVIII. Kalend. Ianuarij, Indictione secunda, incarnationis dominice anno MCXCVIII, pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno primo.

ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.

G RAVEM lapsum monasterij sancti Gervasij de Fos nostro noveris apostolari reseratum, quod cùm collegium ipsius propter insolentiam monachorum ad binarium sit redactum, duo monachi, qui supersunt, Dei timo-

Epi. 475.
Suscipit eos sub
protectione a
postolica.

Epi. 476.
Vt Monasteriū
S. Gervasij in-
flueret.
Vide supra ep. 464.

M m